

foret iuris naturalis sanctio, nisi a Dei bonitate et sapientia, bene vel male factorum compensatio exspectanda esset in aliqua vita futura; quod ipsum simplex et individua mentis natura ejusque ad nouas semper adquirendas perfectiones capacitas arguit.

CXXXII. Fundatae sunt naturae leges in ipsa hominis natura, et quasuis actiones moraliter bonas, vel malas comprehendunt; primum igitur eam hominem obligant, dein ad omnes actiones a libertate prouenientes extenduntur; et hinc sunt tam subiecto, quam obiecto *uniuersales*.

CXXXIII. Sunt porro leges naturales primum *sane*
tae, quod ab nemine impune possint violari, dein *fa*
ciles siquidem ad eam custodiam et connati stimuli,
et recta ratio, et tota natura nos impellit. Vide *Psalm.*
XVIII 3. *Matth.* XL. 30.

CXXXIV. Sunt qui leges naturales esse negant,
quod 1) iura sibi homines inuenient pro utilitate, 2)
eaque pro morum et temporum vicibus saepe immuten-
tur, 3) tantum cuique iuris sit, quantum potentiae,
cui resisti nequeat, 4) nec quisquam a propria obligari
possit ratione, 5) quo nomine non veniant nisi pre-
conceptae singulorum opiniones, et raro inter se con-
gruentes 6) Clamitant alii defecisse post Adami la-
sum rationis lumen, et 7) non paucas gentes summa
legum, quae naturales dicuntur, ignorantia laborare.
Sed haec omnia satis supra explosimus. *

CAPVT IV.

*De iuribus hominum uniuersalibus et quod inde
fluit, actum moralium discrimine.*

CXXXV. Quoniam in notione obligationis et le-
gis ius aliquod inesse oportet, facile patet, cur omnes

B 3

ho-

* Cf. meam exercitat. *De leg. natur. principiis ac propriet.*

homines, quod lege naturali praeceptum faciendi, et quod vetitum est omittendi iura habeant stricte talia, et contra, cur, quae eadem lege permittuntur, ea singuli ex sua voluntate determinandi libertatem moralem a natura acceperint, sive ius permissuum.

CXXXVI. Tam obligationes quam iura naturalia, vel *absoluta* sunt et *connata*, si ex natura ipsa humana generatim accepta ducantur, vel *hypothetica* et *contracta* si simul ab alia peculiari affectione, aut quodam interueniente facto pendeant; quare priora simpliciter sunt *vniuersalia*, posteriora vero quodam sensu vocantur *singularia*.

CXXXVII. Utuntur homines communi quadam essentia atque natura, in qua cum sufficiens iurium connatorum ratio reperiatur, satis liquet, haec in singulis eiusdem esse qualitatis et quantitatis, atque adeo tanquam prorsus similia, et aequalia, ac inter se congrua recte cogitari.

CXXXVIII. Quapropter inter homines qua homines nec *praerogativa*, ius vnius praecipuum, seu quo quis praे alii pari ceteroquin iure utentibus gaudet, nec *precedentia*, ius prioritatis in ordine a pluribus simul obseruando, intelligi potest.

CXXXIX. Nulla determinatio moralis, quae nimirum ad nostrani referatur libertatem, reperiri potest, cum qua non aliquod quodammodo cohaeret ius, igitur non inepta est altera illa status moralis definitio, quod sit: *complexus iurium*, *quibus homines alicuius sunt instructi*.

CXL. Quoniam primigenia hominum iura prorsus sunt aequalia, manifesto colligitur, eos absolute spectatos in statu omnimodae aequalitatis vivere, in quo, nec quod vni vetitum est, alteri permissum, nec quod vni permissum est, reliquis prohibitum aut praeceptum dici possit; quae vero hodie existit inaequalitas; ea vel *hypothetica* est vel tantum *physica*.

CXLI.

CXLI. Ius actiones alterius liberas pro suo arbitrio ad certum quemdam finem determinandi, potestas aut *imperium* nancipatur; obligatio autem huius modi actiones voluntati illius, qui imperio pollet, attemperandi, *subiectionem* constituit, et inde quinam *imperans* dicatur, et quinam *subditus*, facile est definire.

CXLII. Ex naturali hominum aequalitate, eorum quoque *libertas a subiectione*, seu independentia ab cuiusvis alterius hominis arbitrio intelligitur; quo enim iure unus alteri, ut aliquid ficeret, vel non ficeret, imperare vellat, eodem iure hic vicissim illius actiones pollet moderari, et ab eodem petere, ut suum se in aendo iudicium sequi patiatur.

CXLIII. Bona, perfectiones, atque adeo iura omnia, quae in relatione ad certam personam determinata sunt, seu quibus eadem iam iam instructa est, suum ipsius constituant; itaque sicut a *merito* discernere oportet et dignitate, quod scilicet in aliquo determinatum non est, sed eidem congruum et conueniens esse indicatur.

CXLIV. Itaque corpus, et anima ac singulae hominum facultates, tum aequalitas, libertas caeteraque cum his connexa iura ad suum cuiusvis et quidem *naturale* pertinent; de modis vero, quibus aliquid factum comparari suumque alicuius *adquisitum* fieri possit, infra agemus.

CXLV. Nunquam vero quod totum alienum est, illud ipsum esse meum, seu quod totum meum est, esse nullum alienum potest; quod qui negare audent, aperte incident in repugnantiam, et libertatem hominum moralēm ante stabilitatem plane destruunt.

CXLVI. Quidquid nostrum diminuit, id nocentes turbare, violare, et laedere generatim dicitur, illa autem violatio, quae ab homine in alienum inuolante proficiscitur, proprie *laesio* nominatur, quorū

et vulgata spectat laesionis definitio, quod sit actio
quae suo alterius repugnat.

CXLVII. Laeditur autem alter, si suum eidem subtrahitur, vel ponitur impedimentum; ne quis iure suo vtatur: quorum vtrumque si a libero eius, qui laesit arbitrio, pendeat, laesio moralis strictius, vel iniuria generaliter nuncupatur; secus est tantum infortunium, laesio physica.

CXLVIII. Inter iura connata ius quoque in suam conseruationem referendum est: quare facultas moralis ad ea cuncta nobis est tributa; sine quibus huic obligationi, et officio non posset satis fieri: vnde noua iura primigenia, scilicet *ius rerum*, *ius securitatis*, *ius defensionis*, et denique *ius belli* promanant.

CXLIX. Rei nomine hic venit, *omne ens a persona distinctum*, quod nobis praestare usum potest; quum quilibet nostrum rebus variis, veluti cibo, potu, ac vestimentis ad vitam tolerandam indigeat; perspicuum, est; nemini ius acquirendi, et adhibendi res ad sui conseruationem necessarias posse denegari, hoc enim sublato, etiam obligatio se conseruandi, irrita fieret inanisque.

CL. Status in quo nullum malum imminens licet praeuidere, *securitas generatim* dicitur, ius autem securitatis vocant ius non patiendi, ut ab altero sibi noceatur; quoniam quilibet homo iure se conseruandi a natura est instructus, euidens est, etiam ius securitatis iuribus connatis esse adscribendum.

CLI. Qui ius habet non patiendi, ut ab altero sibi noceatur, eidem ius ad actiones quibus vim et iniuriam praecaueat, competere necesse est; et quia actus, quo quis obnittitur laesioni, *defensio nominatur*, planum est cuilibet homini congenitum quoque esse ius defensionis, quod ad omnia facta, sine quibus nullus foret huius iuris usus, porrigitur.

CLII. Quare, si quis eo rerum redactus sit, ut im-

mi-

minens sibi ab altero malum alia via nequeat declinare, quam si vim eidem adferat, et itidem mala importet, iure etiam gaudet, quo vim vi repellere, ac laesione intentanti tot detrimenta inferre liceat, quot sufficient ad hoc, ut laesio etiam physica fiat impossibilis, et ab illa abstineatur: atque illud est, quod vocant, *ius violentiae seu ius cogendi strictissime sumptum.*

CLIII. Alterum turbare non videtur, qui suum tenet, igitur *ius cogendi* in eos se non exerit, qui dum alterius perfectiones non augent, nihil tamen faciunt, per quod ipsius perfectionibus detrahatur: securus enim meum et tuum voces erunt inanes, et naturalis libertas euanescet.

CLIV. Frustra igitur nonnulli *ius violentiae* in eos, qui plane nihil nocent, ex nuda obligatione erga se ipsum deduci posse arbitrantur: vel enim iuris nostri impedimentum ab eo venit, qui illud ponere *ius* non habet, et iam laesio est, quae *ius cogendi* producit, vel vero, qui causa est impedimenti, *ius suum usurpat*, et in hac specie *ius nostrum* non maiorem efficaciam habere potest, quam vis physica, quae per aqualem vim physicam retunditur.

CLV. *Ius* quod nobis respectu aliorum hominum competit, si in eo, quod nostrum est, rationem habet, *ius perfectum*, seu *facultas stricte nominatur*; ast si ex merito tantum descendat et dignitate, dicitur *aptitudo*, seu *ius imperfectum*.

CLVI. Quoniam eos tantum cogere nobis licet, qui in id, quod nostrum est, aliqua ratione inuolant, contra natucae cuiusuis libertati relinquendum est, ut circumspiciat, an idonea nos perficiendi occasio ei praebatur; ideo *ius perfectum* vocant, *quod coniunctum est cum iure hominem alterum cogendi*, cui vero, *ius coactionem externam adhibendi minime cohaeret*, *ius imperfectum*: Enimvero *ius perfectum* esse aliquando insufficiens atque inefficax, siue a iuris cogendi exercitio separari, minime repugnat.

CLXVII. Igitur leges et obligatio*n*es perfectae omnes ex suo alterius profluunt et in hacce propositione continentur: *n*on in*m*em laedas vel *s*inito suum cu*ique*: contra leges et obligatio*n*es imperfectae et aliorum merito gigantur et dignitate, ac in illo insunt ennuntiatio*n*e*s* *f*ludeas pro*d*esse aliis, seu eorum utilitatibus seruire.

CLVIII. Ius *c*ommune dicitur, quod omnibus competit, ius *p*ro*p*rium vero, quod v*u*nus aut plures coniunctim ita habent, ut ceteri omnes ab eo possint excludi: quare iura *c*onnata iuri*b*us communib*u*s, et iura adquisita iuri*b*is propriis accensenda sunt; attamen v*t*i ius, quod pluribus coniunctim proprium est, illud inter ipsos *c*ommune nominatur, ira et iura communia, si vt in singulis hominib*u*s determinata spectantur, naturam iuri*b*is proprii induunt.

CLIX. Is hominum status, qui ab omni aliorum violentia et coactione vacuus est, *p*ax vocatur, huic opponitur *b*ellum, seu status ille, in quo homines conatum efficacem produnt mala aliis inferendi per vim. Itaque habitu iure violentiae, etiam ius belli competit.

CLX. Quoniam status belli non existit nisi superueniente illico*n*to quodam facto, satis liquet, statum minis naturalem absolutum esse statum pacis, statum vero belli esse praeternaturalē atque hypotheticum.

CLXI. Omne id, quod iure suspicitur, seu quod legi et iuri non repugnat, *iustum* est latissime: id ipsum dicitur *honestum*, quatenus ad voluntatem agentis refertur, seu porro omnium approbationem demeretur. *Iusto iniustum*, honesto in*honestum*, ac turpe sunt contraria, itaque *iniustum* est, quidquid iuri aut legi non congruit: *inhonestum*, quod, cum agentem moraliter reddat imperfectiorem, nullius approbatione dignum esse potest.

CLXII. Quoniam vero legum et officiorum genera tribus humanis capitibus, nimirum Dei cultu, phila-

lau-

Iautia et socialitate constant, singula quoque propriis nominibus oportuit insigniri; hinc, quod officijs erga Deum conuenit, *pium*, quod officiis erga se ipsum, *honestum*, quod officiis erga alios, *iustum* sensu minus lato adpellari consuerunt; quorum contraria, scilicet *impium*, *inhonestum*, et *iniquum* facile tacentibus nobis intelligentur.

CLXIII. Sed tam officia erga nosmetipos, quam officia erga alios bifariam considerari possunt; ac illa quidem prout a statu nostro, vel interno, vel externo, haec vero quatenus a iure alterius, aut perfecto, aut imperfecto ducuntur. Ideo in arctissima significatione *honestum* dicitur, quod statum nostrum internum perficit; *decorum*, quod statui nostro externo consentaneum est, et hinc ab aliis sensu percipi, gratumque judicare potest; *iustum*, quod suum alterius non violat; *aequum* denique, quod aliorum meritis congruitaque dignitati, et iam *inhonestum*, *indecorum*, *injustum*, *iniquum* strictissime quid sit, planum erit definire.

CLXIV. Certa agendi facilitas ac promptitudo habitum constituit; hic si in legibus custodiendis adquiritur, *virtus*, si autem in iisdem violandis, *viciofitas* nuncupatur; quam vero tam legum custodia, quam violatio ab aliquo intellectus et voluntatis actu proficiuntur: consequens est, vt nulla omniisque nientis habilitate destituta actionum externalium conuenientia vel disconuenientia cum lege nec virtutis nec viciofatis nomen mereatur.

CLXV. Quoniam multiplex habitum agendi, et legum naturalium consideratio est, ideo tam virtutes philosophicae, quam vitia in varias formas dispescuntur. Vti enim habitus, qui in edendis actionibus vel piis, vel honestis, vel decoris, vel iustis, vel aequis; comparantur, singulari *pietatis*, *honestatis*, *decentiae*, *iustitiae*, aut *aequitatis* veniunt nomine, ita quae his virtutibus opposita sunt *vicia*, scilicet *impia*, *inho-*
ne-

neftas, imputentia, iniufitia, iniquitas, cernuntur in habitibus contrariis; quorum tamen iusti et honesti, dein iniusti et dishonesti iam amplior, iamque arctior sit significatio: manifestum est, etiam iustitiam et honestatem, tum iniustitiam, et dishonestatem, nunc magis, nunc minus late patere.

CLXVI. His ita expositis non abs re erit varia, quae faciunt iustitiae genera breuiter indicare: ac primo quidem eam *uniuersalem* esse vel *particularem* dicunt. Illam esse ajunt, quae virtutes omnes vel simpliciter, vel saltem ad aliorum perfectionem indefinite relatas complectatur; huic autem subiiciunt *actiones*, quare iure alicuius definito et peculiari, et porro seruandae inter homines aequalitati congruant. Deinde particularem iustitiam vocant *distributiuam*, quae in rebus secundum quid communibus diuidendis versetur proportione geometrica, et *commutatiua*, quae ad res proprias in alterum proportione arithmeticā, adeoque sine laesione, transferendas pertineat. Denique iustitiam in persoluentis praemiis *remuneratoriam*, in poenis infligendis *ultricem*, seu *vindicatiua* nuncupant.

CLXVII. Etsi vero haec iustitiae distributio per se non sit absurdā, ea tamen miris ambagibus inuoluta fuit et logomachiis: quare praefstat modo illam divisionem, quae a iure illius, cui aliquid tribuitur, descendit, cum Grotio usurpare. Si nimur iure alterius perfecto respondet, et hinc suum et facultatem respicit, iustitia est *expletrix*, si vero respondet iuri alterius imperfecto, adeoque meritum tantum respicit et dignitatem, iustitia est *attributrix*. Nec ullum reperiire est iustitiae munus, quod non uno, aut altero huīus divisionis membro contineatur. Ceterum abunde patet, solum iustitiam expletricem proprie et stricte iustitiae nomine venire.

CLXVIII. Porro iustitiam aliam *personae*, seu *internam*, aliam *actionis*, seu *externam*, faciunt, priorem

rem per habitum animi suum cuique trahiendi posteriorem per nudam actionis cum lege conuenientiam definiunt. Enim uero, et si haec formam habet, iustitiae, et similitudinem, vera tamen iustitia non est; quod talis autem esse iudicetur, inde euenit, quia homo aliorum hominum mentes nequit penitus intropiscere. Ceterum duplex haec personae et actionis consideratio non tam iustitiae propria est, quam reliquis etiam virtutibus communis, siquidem actiones piae, honestae et aquae nunc a proposito voluntatis, nunc ab alia quoque causa proficiunt.

CLXIX. Quemadmodum bona et recta non aliter est actio, quam si in singulis suis partibus consentit cum lege, ita *virum bonum* esse illum tantum dicimus, qui pietate, iustitia, aequitate, honestate et decentia est imbutus, *iustum* vero in sensu latissimo, qui nullis adhuc foedatus est vitiis contrariis. Quum autem haec vitia primum actionibus nostris liberis adsciscantur, nemo a sola natura virtiosus, foedusque esse intelligitur, sed demum accedente quodam facto; hinc quilibet homo etiam eo iure connato gaudet, ut iustus amplissima significatione esse iudicetur, donec ex turpibus factis de ipsis malitia et vitijsitate constiterit.

CAPVT V.

*De varia actionum moralitate, imputacione,
ac conscientia.*

CLXX. Actiones humanae non modo ratione subiecti, in quo versantur, a se inuicem discrepant, sed etiam a quantitate bonitatis vel malitiae moralis accipiunt discrimen.

CLXXI. Scilicet conuenientia actionum libera-
rum cum lege illarum rectitudinem, repugnantia vero
peccatum constituit; sed legis robur ex obligationis
quantitate, haec vero ex momenti cum actione copulati

pon-